



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. XIV. De Clandestina Desponsatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

dunt, d. *J. Naturalis*. Et de hoc est Gloss. in 35. q. 5. in arb. aff. Et per Hostien. in *Summ. de Consang. & affinit.* Civilis, quæ etiam *Legalis* vocatur; estque communio, seu attinentia proveniens à Juris, non naturæ ministerio, l. 4. §. 1. ff. de *Grad. affinit.* Vel est proximitas per adoptionem proveniens. *J. Legalis*. 1. hoc tit. Quæ quotuplex sit, vide Gloss. in c. unic. de *Cognat. legali. Spiritualis*, quæ est attinentia quædam proveniens ex Sacramenti collatione, vel detentione ad Sacramentum, ut hic in princ. Et eandem definitionem ponit Gloss. in cap. 1. de *Cognat. Spirit.* in 6. ubi Abbas.

Quod ad Tertium. Regula est generalis; Quamcunque attendi Cognationem si de Matrimonio contrahendo tractatur. Si verò tractatur de Matrimonio jam contracto, Naturalis est illa, quæ Matrimonium non solum impedit, sed dirimit usque ad quartum gradum. *J. Vir, hoc tit. cap. Non debet, De consang. & affinit.* Nisi obtineatur dispensatio. Spiritualis verò non simpliciter; & ideo si pater ad sacrum fontem levaverit filium, non ob id Matrimonium dissolvitur. *J. Diximus, hoc tit. & not. in cap. 2. extr. de Cognat. Spirit.* Illud etiam sciendum est, quod legitima cognatio impedit solum usquequo durat. Exemplum est in *J. Legalis, hoc tit. c. un. De leg. cogn. & cap. Per adoptionem, & c. Ita diligere. 30. q. 3. & l. Per adoptionem, ff. De rit. nupt.* quandoque perpetuo, ut infra.

Quod ad Postremum: Si de Cognatione spirituali tractatur hæc impedimentum præbet inter levantem, & lavatum, nec non & ipsius Parentes, & Baptizantem, & Baptizatum, & illius Parentes secundum Concil. Trid. in c. 2. de *Reform. Matrim.* sess. 24. quamvis hoc impedimentum latius pateret olim, ut *J. Non solum, hoc tit. d. c. 1. de Cognat. Spirit.* Et quod dictum est de Baptismo, habet etiam locum in Confirmatione, d. c. 2. Unde ex datione aliorum Sacramentorum non oritur impedimentum hujusmodi, quod Matrimonium impediatur. *J. Eisdem, hoc tit.* De ratione differentie videas in Gloss. in *Verb. Sacram. in princ.* Item per Catechismum Matrimonium contrahendum impeditur, quamvis contractum non dirimatur. *J. per Catechismum, hoc tit. cap. 2. de Cognat. Spirit. in 6. cap. Contract. ext. eod. de Cognat. Spirit.* Et Catechismus est illa instructio, quæ fit ante Baptismum super articulos fidei, & habet locum maxime in adultis, & capacibus, cap. Ante vigesimum, de *Consecr. d. 4.* Et hodie fit ante fores Ecclesiæ, & in infantibus antequam baptizentur, ut per Abb. in *Rubr. de Cognat. Spirit. in 6.* Si verò agamus de Cognatione legali, hæc impedit quandoque in perpetuum, quandoque verò ad tempus. *J. Legalis, hoc tit. cap. Cum, de Legali cognat. & cap. Per adoptionem, & d. c. Ita diligere. 30. q. 3. & d. l. Per adoptionem, ff. De Rit. Nupt. J. Perpetuam, hic. J. Ergo non omnes. Vers. & hac. Inst. Civil. de Nupt.* Perpetua causa impedimenti est inter adoptantem, & adoptatum, & inter Uxorem adoptantis, quia etiam dissoluta adoptione non removetur impedimentum. Quod si aliqua per adoptionem tibi soror esse coeperit, dissoluta ipsa adoptione removetur impedimentum, ut in *Jurib. supr. alleg. & est Gloss. in d. cap. Un. de Cognat. Spirit. & J. Sed si qua, Institut. Civil. de Nupt.*

Si de Naturali loquimur, hæc inducit impedimentum usque ad quartum gradum inclusive, c. Non debet, de *Consang. & affinit.* quod intelligitur Post. Clericali Tom. II. Lib. VIII.

de transversalibus; namque inter ascendentes, & descendentes in perpetuo prohibentur Nuptiæ. Quamvis Goffred. teneat contrarium in *Rubr. de Consang. & affinit.* per generalitatem, d. c. Non debet. Quod tamen non est verum. Ut per Jo. Andr. Host. & Abb. in d. c. Non debet. Et de hoc est text. in l. Nuptia, ff. de *Rit. Nupt.* In *J. Ergo. Institut. Civil. de Nupt.* ubi etiam Gloss. in *Verb. in infinitum*, dicit, quod si Adam viveret uxorem non inveniret. Vide in meis Decisionibus de *Matrimonio. Decis. 22. num. 12.* ubi DD. attestantes nunquam in Ecclesia Catholica fuisse dispensatum, ut Matrimonium fieret inter Ascendentes, & Descendentes. Hujus rei ratio esse potest, quia in nuptiis copulandis honestas inspicitur, l. Semper, ff. de *Rit. Nupt.* Quod procedit etiam quod ad eas personas, quæ propè stipitem sunt, cum & ipsæ loco parentum habeantur; & eas, quæ descendunt ex stipite, ut quæ loco filiorum sunt. *J. Inter amittam. Institut. Civil. de Nupt.* Quod etiam de Jure Canonico receptum est, ut per Host. in *tit. de Consang. & affinit. Vers. usque ad quartum gradum.* Et quod dicitur de cognatione naturali habet locum etiam in affinitate, d. cap. Non debet. Dummodò affinitas sit contracta ex licito coitu; namque si copula sequatur illegitima, tunc impedimentum non excedit secundum gradum, ut per Conc. Trid. sess. 24. in *Decret. super Reform. Matrim. c. 4.* Et notandum est, quod is, qui cognovit consanguineam uxoris suæ non potest petere debitum, licet reddere teneatur; sed per hoc non dissolvitur Matrimonium, & post mortem uxoris non potest cum alia Matrimonium contrahere. *J. Si quis, hoc tit. c. 1. De eo qui Cognat. consang. Uxori suæ.* Et vide Gloss. hic in *Verb. petere*, quæ proponit duos casus, & se remittit ad dicta in c. Discretionem, eod. tit. Verum Uxor in hoc casu admonenda, ut à commixtione viri absteat, & in continentia maneat, donec vir viam universæ carnis fuerit ingressus. *J. Uxor, hoc tit.* Sed tamen non tenetur monitionibus parere. *J. Quod si forte, hoc tit. d. c. 1. & cap. fin. De eo qui cogn. & c.* Unde apparet quod affinitas subsequens non dirimit Matrimonium, sed ea, quæ præcessit, si legitime probetur.

TIT. XIV.

De Clandestina Desponsatione.

Quoniam Matrimonia quandoque palam, quandoque verò occulte contrahuntur, idcirco post titulos præcedentes, in quibus de Matrimoniis palam contractis actum est, tractat Auctor de Matrimonio clandestino, quod occultum dicitur: & videbimus

1. Quid sit clandestina desponsatio?
2. Qui sint effectus clandestini Matrimonii?
3. Quæ solemnitates debeant observari in Matrimoniis clandestinis?

Quod ad Primum. Clandestina desponsatio dicitur Matrimonium illud, quod inter aliquos etiam copula interveniente contrahitur, non servatis omnibus solemnitatibus, c. 2. extr. eod. c. Aliter. 30. q. 1. c. fin. ext. eod. & secundum id, quod hodiernis temporibus est statutum à Conc. Trid. est Matrimonium illud, quod non est contractum cum presentia proprii Parochi, & duobus, vel testibus, c. 1. in *Decret. de Reform. Matrim. sess. 24.* Et licet antiquitus matrimonia ista valida, & firma essent, c. Si quis. §. Ista. 30. q. 8. d. c. Aliter. Attamen hodie per Concilium Tridentinum statutum est,

E

est,

est, ut nulla prorsus sint, *d. c. 1. sess. 24.* Et hoc ea ratione statutum fuit, quia eveniebat plerumque, ut aliquis cum una contraheret clam, quā demissa aliam duceret, cum qua perperuō in adulterio viveret. Unde cum non posset primum Matrimonium probari, eveniebat quod Ecclesia non posset eum cogere, ut ad primum redderet, *c. 2. extr. eod. & hic in princ.*

Quō ad Secundum. Effectus præcipuus est iste, ut filii nati ex hujusmodi Matrimoniis, illegitimi judicentur, licet parentum ignorantia Matrimonium contractum fuerit clandestinum, *c. Fin. §. Si quis, extr. eod. §. Quicumque, hoc tit.* Licet alioquin si ignoranter in facie Ecclesiæ contraxerit, & postea lata fuerit sententia divortii propter consanguinitatem, filii jam nati dicuntur legitimi, *c. Cum inter, & ibi not. extr. Qui filii sint legit.* Immo etsi unus tantum ignorat, *c. Ex renore, eod. tit. & est Gloss. in c. Cum in captivitate, 33. q. 1.* Et contrahentes tale Matrimonium, peccant, *d. cap. Aliter, & puniuntur, d. c. fin. in fine.* Et Sacerdotes, qui hujusmodi conjunctiones prohibere contempserint, ab officio suspenduntur, & gravius etiam sunt puniendi, si hoc culpæ qualitas postulaverit, *cap. fin. hoc tit. cum concord. d. cap. 1. sess. 24. Concil. Trident.*

Quō ad Ultimum. Hæc sunt ad contrahenda Matrimonia necessaria. Primò, ut fiant tres denunciations in celebratione Missarum tribus diebus festivis; licet interdum etiam hæc denunciations remittantur ex causa. Secundo, ut his factis coram duobus, vel tribus testibus Sacerdos consensum eliciat, conjugesque conjugat, dicens: *Ego conjungo vos in Matrimonium in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & nomen ipsorum in libro ponat.* Id etiam observatur, ut non habitent simul conjuges ante benedictionem Sacerdotis; itaut proprius Parochus benedicat, non alius, nisi forte obtenta licentia ab Ordinario; & si forte obveniat, ut aliquod impedimentum adducatur, suspenditur Matrimonii contractus, *§. Cujus, hic, usquequo de impedimento judicetur, c. Præterea, de Spons. c. Cum in tua, & c. Super eo, de consanguin. & affinit. per d. c. 1. sess. 24. de Ref. Matrim.*

TIT. XV.

Qui Matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.

Cum Matrimonium, ut supra dictum est in §. 1. tituli proximi, debeat fieri præmissis denunciationibus, & post eas possint comparere, qui illud accusent, ob id de his in hoc titulo tractatur, & de his etiam, qui impedimentis propositis super ea possint testificari. Et ad Tituli declarationem examinabimus:

1. Quid sit Matrimonium accusare?
2. Qui possint Matrimonium accusare?
3. Quando accusatio sit facienda?
4. Qui possint esse testes?
5. Quæ in testibus requirantur?

Quō ad Primum. Matrimonium accusare nihil aliud est, quàm delatio causæ, propter quam Matrimonium debet dissolvi, vel contrahendum non fieri. Et habet accusatio ista naturam quandam mixtam inter Civilem, & Criminalem causam, *cap. Tua, de Procur. c. Consanguineos, 35. q. 6.*

Quō ad Secundum. In hoc capite talis est adhibenda distinctio; Seu duo sunt casus constituendi. Primus est, quando tractatur de deferendo impedimento ejus naturæ, quo probetur Matrimonium esse non posse sine peccato; & in hoc casu unusquisque admittitur ad accusandum, *§. Quod si delictum, hoc tit. c. Tua, de Cogn. sp. c. Cum in tua, de Spons. cap. Videtur, extr. eod.* Et in hoc præferuntur consanguinei, & parentes volentes accusare, quia præsumuntur melius scire suam genealogiam, quàm extranei, *d. c. Videtur, & Goffr. in Rubric. hoc tit. c. Videtur, 35. q. 6. §. Adeo, hic, d. §. Quod si delictum.* Quod si consanguinei non extent, tunc antiquiores, & honestiores admittuntur, *§. Quod si progenies, hoc tit. d. c. Consanguineos.* Secundus casus est, quando agitur de aliquo perpetuo impedimento, quod peccato subiectum non est, & tunc admittuntur ii soli, quorum interest, *§. Sed nec, hic, cum concord.* Veluti si agatur de errore conditionis, de impotentia ad coeundum, aut de simili impedimento. Goffr. in Summa hujus tit. num. 2. Hanc eandem distinctionem post Innoc. notat Abbas in Rubr. eod. Et Hostiens. in Summ. Quis adm. ad accus. Matrim. Ubi videndum, & advertendum est, quod ab accusatione repelluntur ii, qui præsumuntur calumniosè accusare; ut *hic in princ. cap. fin. extr. eod. cap. Pastoralis, de Except.* Unde si quis tempore denunciationis fuisset in Dicecesi, & siluerit, postea non admittitur, nisi juret de calumnia, ut *hic in princ.* Et insuper quis propter turpitudinem quæstus repellitur, *cap. Significante, extr. eod.*

Quō ad Tertium. Si tractatur de Matrimonio contrahendo debent impedimenta proponi tempore denunciationum, quæ publice fiunt. Si Matrimonium jam est sequutum, tunc impedimenta pro Matrimonio dissolvendo jam contracto, est necessarium, ut ille, qui vult accusare, juret se ignoravisse tempore denunciationum illa impedimenta, sed ea postea didicisse, *hic in princ. & d. c. Cum in tua.* Verum si iusta causa intercesserit, ut verisimiliter potuerit ignorare impedimenta, vel propter infirmitatem, vel propter ætatem teneram, vel etiam si erat extra dicecesim tunc temporis, itaut ad ejus notitiam non potuerint pervenire denunciations; tali casu etiam sine Juramento admittitur, *§. Idem, hoc tit. d. c. Cum in tua.*

Quō ad Quartum. Regula est generalis: omnes posse esse testes, etiam si sint consanguinei, vel affines, quinimmo & proprii Parentes, *§. Quod autem, hoc tit. cap. Super eo, extr. de Testib.* Id tamen verum est, quod si Matrimonium contrahatur inter dispares, tunc non de facili creditur illi consanguineo, cujus videtur interesse Matrimonium illud contrahi, vel non, *d. c. Super eo, in princ. & in §. Ubi, infr. hoc tit.* Illud etiam prætereundum non est, quod si tractatur de consanguinitate probanda ad Matrimonium dissolvendum, duo, vel tres saltem debent testes recipi, *c. 1. cap. 2. q. 3.*

Quō ad Postremum. In testibus hæc omnia exiguntur. Primò ut bona fides adsit, ut *sup.* Ut sint honestis moribus præditi. Ut quando opus est, Juramentum præstetur de calumnia, & de veritate dicenda. Item in depositione testium hæc debent contineri, Ut jurent se non privato odio, nec amicitia, nec alicujus proprii commodi intuitu ad hoc jurandum inductos esse: sicut